N. 2273.

CURRENDA XII.

A. D. 1864.

L. pr. 104.

Decretum sacræ Congregationis de propaganda fide super Conventione inter P. T. Ordinarios hujus Regni r. l. et g. Romæ 1863. quoad V. controversiarum Articulos inita.

Jam ex Encyclica SS. Papæ Pii IX. ad P. T. Archiepiscopum Leop. r. l. emissa, in Cur. X. a. e. impressa; jam e Relatione Consist. hujatis in Cur. XIV. demum ex Epistola Præsidii Episc. in Cur. XXI. 1863 excusa... &c. &c. abunde Ven. Clero innotuerat, quales dissensus inter utriusque Ritus Ecclesiam in Provincia exorti et quales conatus ad restituendam pristinam concordiam necessarii fuerint.

Negotiis his Romæ pacifice compositis, ad Nos Litteris humanissimis Eminentissimi Domini Cardinalis Barnabo de 25. Jan. a. c. Romæ datis, pertigit Decretum sac. Congregationis de propaganda fide. V. Articulos sub A. B. C. D. E. continens, nimirum quoad transitum ab uno ad alterum ritum.. functiones ss... administrationem sacramentorum.. matrimonium et prolium æducationem, demum ratione mutui adjutorii.

Tam aestimatissimas Litteras, quam Decretum illud Ven. Clero in sequentibus pro notitia et directione communicanda esse censemus.

I. Epistola concomitiva ita sonat:

„Illme ac Reverendissime Domine! Perjucundum mihi est Amplitudini tuæ transmittere typis impressum decretum diei 6. Octobris anni proxime elapsi, quo SSmus D. N. Pius Papa IX. juxta sententiam ab Emis hujus S. C. Patribus editam in generalibus comitiis habitis die 30. Septembris ejusdem anni approbari mandavit novas conventionis tabulas ab Ordinariis Ecclesiasticæ provinciæ Leopolitanae exaratas ad *pacem* et *concordiam* inter ecclesiasticos viros latini ac Rutheni ritus *servandam* ac *fovendam.*

Jam porro Sacra haec Congregatio ultro sanciendos censuit propositae conventionis articulos nonnullis dumtaxat peractis *immutationibus,* ut videre est in decreto superius memorato et hisce literis adnexo.

Eidem S. Congregationi admodum acceptum erit, ut quilibet in sua diœcesi Episcopus, eo quem aptiorem existimaverit modo, curet certiores reddendos confessarios alterius ritus circa conscientiæ casus, quorum absolutionem sibi reservandam judicavit.

Attenta autem antiqua istarum diœcesium consuetudine, quæ non absque gravi perturbationum discrimine tolli posse affirmatur, retinendi scilicet in nonnullis Ecclesiis sub *eodem tabernaculo* SS. Eucharistiam sub speciebus sive ażymi sive fermentati, Smus D. Noster indulget, ut hujusmodi *Consuetudo* in præsentiarum *toleretur*, modo tamen sedulo *remove-*

antur abusus, qui ex ista promiscua asservatione possent exoriri sicuti ex. gr. ille foret, quo latinus sacerdos extrahat Sacramentum Eucharistiæ in fermentato vel ruthenus in azymo fidelibus alterius ritus communionem administraturus. Sic etiam abusivus mos ille censendus, quo latinus sacerdos idem sacramentum in azymo conferat fidelibus græci ritus, et vicissim ruthenus sacerdos in fermentato præbeat fidelibus latini ritus. Hoc enim non ad lubitum conceditur, sed tantum *urgente gravi necessitate*, qua juxta articulum C. §. d. Ruthenis id licere asseritur ad modum simplicis declarationis, latinis vero ex Apostolico indulto permittitur.

Hæc ex mandato S. Congnis significanda erant Ampl. Tuæ, quam Deus diutissime sospitet.

Datum Romæ ex Aedibus S. Cognis de Propaganda Fide pro negotiis ritus Orientalis die 25. Januarii 1864.

Amplitudinis Tuæ Uti frater studiosissimus Al. C. Barnabo Præf."

Conventio applacidata

hujus tenoris:

„DECRETUM

Ad graves et diuturnas controversias dirimendas, quæ in ecclesiastica provincia Leopoliensi ob disciplinæ varietatem nec non ratione mutuarum relationum inter ecclesiasticos viros latini et græci ritus inde promanantium non absque christianæ charitatis dispendio atque animarum detrimento agitabantur, optimo sane consilio utriusque ritus antistites conventionem seu concordiam sub die 23 Decembris 1853 ineundam censuerunt, quam deinde S. Sedis placito subjiciendam curarunt. Propositam itaque conventionem, cujus examen peculiaribus de causis differri debuit, tandem ex mandato SSmi D. N. Pii PP. IX. Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis ab eodem Pontifice nuper instituta ad trutinam revocavit in generalibus comitiis habitis die 4 et 12 Augusti 1862, in quibus ejusdem conventionis articulos singillatim expendens quoad aliquos satius duxit ab Ordinariis dioecesanis illius provinciæ ecclesiasticae necessarias declarationes fore in antecessum exquirendas.

Quod quidem munus commissum est Apostolico Nuntio Vindobonae commoranti, qui laudatos Ordinarios de praedictis declarationibus interrogare non destitit, sed cum inter responsionum moras acceptum fuerit in eadem provincia liturgica ac ritualia dissidia non solum non extingui, quin immo quotidie vehementius accensa affervescere, hinc sapientissimo quidem consilio die 2. Martii hujus anni Pontificiæ litterae datae sunt ad Leopolienses Archipræsules latini ac rutheni ritus eorumque suffraganeos excitandos, ut scilicet adverti mala, quae ex hujusmodi dissidiis Religioni et animarum saluti impendebant, ac opportuniora, cum citius fieri posset, remedia proponi satagerent, nec non etiam aliquem ecclesiasticum virum Romam mittendum curarent, qui de memoratis liturgicis et ritualibus controversiis Apostolicam Sedem magis magisque certiorem faceret.

Hujusmodi invitatione libentissime accepta ipsimet antistites haud ulla interjecta mora Romam se contulerunt, quorum aliqui plenam de rerum suarum statu relationem Smo D. N.

humillime exhibuerunt, universi vero Emo S. Congregationis Praefecto requisitas explicationes super propositam concordiam diligenter tradiderunt.

Hisce mature perpensis, eumdem Emum S. C. Praefectum cum duobus item Emis Patribus deputari optimum visum est, coram quibus, omnia deinde in generali Sacri Ordinis conventu relaturis, Leopoliensis utriusque Ecclesiae praesules suos sensus liberrime patefacerent, et quod scripto tradiderant fusius explicarent, et si quid etiam uberius addendum oretenus foret, fidenter exprimerent.

Hanc quidem sibi propositam agendi rationem praelaudati antistites nimirum RR. PP. DD. Franciscus Xaverius Wierzchleyski Archiepiscopus Leopoliensis latini ritus, Thomas Polanski Episcopus Premisliensis ritus græci catholici, Spiridion Litwinowicz Episcopus Canatensis et Archidiœcesis Leopolitanæ ritus rutheni vacantis Administrator Apostolicus, ac Josephus Hoppe Praepositus Ecclesiae Cathedralis Premisliensis ritus latini et Sede vacante Vicarius Capitularis grato animo susceperunt, atque explicationibus ultro citroque porrectis, tandem die 17 Julii 1863 de controversis articulis unanimiter convenientes superius memoratæ Concordiæ schema quoad nonnulla immutatum, assentiente etiam, nonnullis tamen animadversis, R. P. D. Josepho Aloisio Pukalski hodierno episcopo Tarnoviensi, qui Concordiæ tabulis anno 1853 exaratis subscripserat, eo quod intra limites ejusdem diœceseos plura Ruthenorum millia Premisliensis antistitis jurisdictioni obnoxia commorentur, S. Congregationis judicio iterum subjiciendum postularunt. Quæ sane omnia una cum universis declarationibus ab ordinariis Leopoliensis Ecclesiæ, uti superius relatum est, editis proposita sunt in generali conventu diei 30 septembris anni vertentis, ubi Emi Patres novas Conventionis tabulas in singulis partibus rite excusas paucis variatis probandas censuerunt.

Hanc vero Emorum Patrum sententiam infrascriptus Secretarius in Audientia habita die 6. mensis hujus Octobris SSmo Domino nostro retulit, qui eamdem Apostolica auctoritate confirmans antedictam Conventionem per hoc S. C. decretum approbari mandavit juxta sequentem tenorem:

A. Sub respectu transitus ab uno ad alterum ritum.

„*a)* Quilibet in suo nativo ritu permanere tenetur, et arbitrarius jam permultis tum ad Missionarios et fideles Orientis, tnm ad oras nostras directis Constitutionibus et Decretis reprobatus transitus, denuo ac severissime prohibetur et quocumque modo ad effectum deductus irritus ac nullus esse declaratur. Quare nemini absque obtenta Sedis Apostolicae facultate ex uno ad alterum ritum transire liceat. Attamen quoniam aliquando urgens necessitas forsitan expostulat, vel rationabiles causæ suadere possunt transitum de uno ritu ad alium, idcirco in hisce casibus ritus mutationi fiet locus, sequenti tamen methodo religiose servata. Ille qui ex uno ad alium ritum transire cupit, preces proprio Ordinario Diœcesano porriget, causas, quæ ritus mutationem suadent, accurate et fideliter exponens. Ordinarius scripto tenus sententiam suam super petitione et causis aperiet: hoc autem documentum exhibebitur Ordinario alterius ritus, ad quem transitus expostulatur; atque hic etiam suam sententiam scripto significabit, et omnia transmittet ad S. Sedem, quæ vel per se, vel per suum delegatum decernet, utrum transitus permittendus sit nec ne. In casibus autem urgentibus, qui moram non patiuntur, Or-

dinarius illius ritus, ad quem transitus exposcitur, audito, methodo superius enunciata, Ordinario alterius ritus, a quo dimittendus est Orator, transitum admittet provisorie, et sub conditione, si a S. Sede transitus hic confirmabitur.“

„*b*) A die publicationis initæ Concordiæ in unaquaque Diœcesi utriusque ritus faciendæ terminus sex mensium præfigitur, intra quem licitum erit partibus, quæ arbitrario ritum mutarunt, ad ritum suum redire, atque hoc desiderium Episcopo utriusque ritus partes eadem insinuabunt. Praedicto autem termino elapso, illi qui hac facultate usi non fuerint, si laici sint, in ritu illegaliter assumpto ex Apostolico indulto perpetuo manebunt, si vero sint Ecclesiastici, ad S. Sedem singillatim recurrant, ut provideat.“

„*c*) Ab eodem die publicationis Concordiæ, si sacerdos sive latini sive rutheni ritus quempiam illegitime transeuntem sciens et volens ad suum aggregaverit ritum, aggregatio talis sit nulla et irrita; et insuper sacerdos, qui hoc grave piaculum admiserit, si regularis sit, obnoxius erit pœnis statutis in Constitutione Benedicti XIV, quæ incipit *Demandatam cœlitus*; si vero sit e clero sæculari sive parochus sive operarius, prima vice spiritus recollectionibus octo dierum, secunda vice quatuordecim dierum, tertia demum vice suspensione a divinis ipso facto incurrenda, et pro casus gravitate etiam beneficii privatione, si parochus est, prævio processu judiciali; si operarius inhabilitatione per triennium ad curatum beneficium obtinendum puniatur. Quod si quispiam celato nativo ritu, fidelibus alterius ritus se jungeret, et a sacerdote alterius arbitrario assumpti ritus obsequia spiritualia expeteret et obtineret, subdolus ille actus, licet post decursum plurium annorum in lucem demum prodierit, sit nullus et irritus; sacerdos tamen qui advenam suis ovibus inscius adnumerabat, insons declaretur, et nonnisi eumdem ad ritum nativum relegare teneatur. Si vero etiam indubitata de nativo advenæ ritu obtenta notitia, obsequia spiritualia eidem præstare pergeret, jam sciens et volens talem advenam suo gregi adnumerare nititur; hinc pœnis superius positis subjicendus est.“

B. Sub respectu functionum sacrarum sive liturgico.

„*a*) Utriusque ritus sacerdotes, qui censuris ligati non sunt, Ecclesiis mutuis cum facultate rectoris Ecclesiæ licite super altaribus sive consecratis, sive portatilibus, sive super antimensiis, ut in Ecclesia græca moris est, singuli tamen suo ritu et sua lingua liturgica ex Apostolico indulto missas celebrare possunt.“

„*b*) Pari modo offerre possunt sacrificium Missæ in Oratoriis privatis canonice erectis aut sacellis cum licentia Episcoporum in pagis et cœmeteriis reperibilibus sacerdotes utriusque ritus, ast semper prævia licentia Parochi, in cujus jurisdictione sacellum situm est. In Oratoriis latinorum sacerdotes latini ritus (juxta Bullam Benedicti XIV, quæ incipit *Imposito nobis*) tantum super consecrato altari vel super lapidea pariter consecrata tabula, non autem super antimensiis missas celebrare tenentur.“

„*c*) Si localis Ecclesiæ rector censuerit devotioni et ædificationi fidelium id profuturum, ut in majori populi concursu persolvatur devotio, nonnisi in altero usitato ritu, e. g. parastasis, aut decantatio Evangeliorum tempore comitationis funerum, aut alia similia, nil obest, quatenus devotiones tales peragantur. Peragi autem debent nonnisi ab illis sacerdotibus, in

quorum ritu devotiones illæ usitantur, et remuneratio, quæ a populo pro tali devotione offertur, non rectori Ecclesiae sed sacerdoti functionem peragenti cedat."

„*d*) Non licet Sacerdotibus unius ritus in Ecclesia alterius ritus (nisi a respectivo parocho expresse invitati fuerint) benedictiones salis, aquæ, frugum, thuris &c. peragere."

„*e*) Visitare loca thaumaturga, (sive sub regimine latinorum, sive rutheno-catholicorum sacerdotum existant) cuilibet liberum maneat, sintque imagines aliæque res in uno ritu venerabiles æqualiter etiam in altero ritu æstimatæ."

C. Sub respectu administrationis saccramentorum.

„*a*) Nullus sacerdos proles alterius ritus baptizare præsumat, nisi necessitas ob periculum mortis infantis, aut hyemis inclementia, locorum distantia, itineris difficultas obstent, quominus baptisma a proprio sacerdote administrari possit. Baptismus autem in hisce rerum adjunctis collatus nullo modo ritus mutationem involvit, neque ad hujusmodi mutationem ullum prætextum aut colorem præbere poterit. Quilibet baptismum in praedictis necessitatis aut gravis difficultatis circumstantiis peragens sacerdos utatur rituali sui ritus. Sacerdotes vero rutheno-catholici proli ad latinum ritum spectanti sacramentum baptismi in iisdem commemoratis casibus administrantes, etiam confirmationis sacramentum conferre nullatenus audeant sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ, salvis aliis pœnis arbitrio Episcopi infligendis. Actus autem baptismi in necessitate vel gravi difficultate, ut supra, collati inscribatur in libro separato pro baptismate prolium alterius ritus, atque in eo adnotetur, quod baptizata proles ad alium ritum pertineat. Demum de collatione hujus baptismi respectivus parochus via officiosa irremore informetur."

„*b*) Fideles utriusque ritus apud sacerdotem latini vel rutheni ritus a suo Episcopo Ordinario adprobatum peccata sua confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis valide ac icite obtinere possunt. Sacram vero Communionem nemo aliter ac in suo ritu sumat, scilicet latini sub una specie ac in pane azymo, rutheno-catholici sub utraque specie, et in pane fermentato. Curent autem Episcopi, ut in locis thaumaturgis seu latinis seu ruthenis tot alterius ritus sacerdotes a parochis invitentur, quot sufficere possint ad Missam celebrandam, et sacram Communionem distribuendam juxta proprium fidelium sive ruthenorum sive latinorum ritum."

„*c*) Matrimonio benedicit secundum antiquissimam in diœcesibus nostris vigentem consuetudinem parochus sponsae. Idem quoque in matrimoniis mixti ritus, ubi sponsorum unus est ritus latini et alter ritus rutheni, servandum, et talia matrimonia a parocho sponsae benedicenda sunt, nisi ambo sponsi contrarium petierint. In benedicendis talibus matrimoniis tempus sacratum, quod in utroque ritu diversum est, observari debet, et ne conscientia alterutrius sponsi laedatur et aliis fidelibus scandalum praebeatur, cavendum quoque est, ne benedictio matrimonii in diem jejunii in hoc vel in altero ritu praescripti incidat."

„*d*) Si ad infirmum sacramentis providendum proprii ritus sacerdos haberi nequit, potest illi etiam alterius ritus sacerdos extremam unctionem oleo sacro in suo ritu usitato administrare: sacrum vero Viaticum etiam infirmis nonnisi juxta eorum ritum a proprii ritus sacerdote porrigi debet. Deficiente autem sacerdote proprii ritus valeat ex Apostolico indulto

latinus a presbytero rutheno in fermentato, et ruthenus infirmus a presbytero latino in azymo sacrum Viaticum accipere.“

„Nec baptismus a sacerdote alterius ritus urgente necessitate vel in gravi difficultate, ut supra dictum est, collatus, nec confessio peccatorum coram tali sacerdote facta, nec sacra Communio ex ignorantia sive inadvertentia aut consilio ritum mutandi juxta alterum ritum sumpta, nec denique sacramentum extremae unctionis ab alterius ritus sacerdote in articulo mortis obtentum, transitum ab uno ad alterum ritum producere possunt.“

D. Sub respectu ineundorum matrimoniorum et educationis prolium.

„*a)* Matrimonia inter rutheno et latino-catholicos præpedire non licet. De talibus vero Matrimoniis ineundis proclamationes in Ecclesiis utriusque ritus omnino instituendæ, nonnisi tunc promulgari incipiant, si sponsi utriusqun ritus conditiones lege præscriptas impleverunt. Eo fine sponsus a suo parocho scripto exaratam contestationem expetat, qua confirmetur omnes præscriptas conditiones ex parte sponsi esse adimpletas, et inchoandis proclamationibus intenti matrimonii nil obstare.“

„Hanc contestationem parocho sponsæ admanuabit, et similem contestationem intuitu sponsæ ab eodem obtentam, parocho suo adferendam habet. Adquisita hoc modo certitudine de adimpletis conditionibus, uterque parochus ad inchoandas proclamationes procedat. Graviter reprehendatur sacerdos proclamationes ideo protrahens aut impediens, quod pars ad ejus ritum spectans, alterius ritus sponsum sive sponsam sibi elegerit, aut qui ex hac causa testimonium bannorum sine mora extradere, aut demum tali testimonio non producto, matrimonio benedicere præsumeret.“

„*b)* Juxta antiquam praxim, prout jam superius notatum, benedicit matrimonio parochus sponsae.“

„*c)* In posterum ubique proles e matrimoniis mixti ritus progenitae educabuntur in ritu parentum juxta sexum. Ad evitanda autem gravia incommoda in familiis mixti ritus, per dispensationem ab Ordinariis impetrandam facultas fiat dies festos et jejunia observandi juxta unum eumdemque ritum, si ita parentes inter se conveniant, quin exinde ritus ipsius mutatio ullo modo deduci valeat. In matrimoniis tamen clericorum Ruthenorum abhinc universa proles sequi debebit ritum patris, atque uxor latina per dispensationem ab Ordinario impetrandam facultatem obtineat festos dies et jejunia servandi juxta ritum ruthenum. Episcopi pariter dispensare poterunt cum famulitio in familiis mixti ritus substentato, ut circa jejunia et festos dies sese accommodent conventioni inter conjuges, ut supra dictum est, initæ; ast diebus dominicis et festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus devotiones in Ecclesia sui nativi ritus tam conjuges ac filii quam famuli peragere possunt. Prædictas vero dispensationes Ordinarii concedent tamquam Apostolicæ Sedis delegati.“

„*d)* Quia vero lex retro non agit, idcirco si certo constiterit alicubi matrimonia ea lege contracta fuisse, ut universa proles ritum patris sequatur, subsistens usus ad evitandas in familiis et actis parochialibus confusiones, impertita sanatione a Summo Pontifice, ultro servetur.

„*e)* Illegitimae proles sequantur matris ritum.“

E. Sub respectu mutui adjutorii.

„*a)* In baptizando adjutorium non feratur nisi in casu urgentis necessitatis aut gravis difficultatis, prouti jam superius notatum est.“

„*b)* Omnis sacerdos a suo Ordinario adprobatus et a respectivo Ecclesiae rectore requisitus, absque ritus discrimine fidelium confessionem audire, et eosdem a peccatis licite et valide absolvere potest. In assignandis satisfactionis operibus ratio diversitatis ritus habeatur, et nonnisi talia eligantur opera, quæ in ritu pœnitentis sunt usitata. Nulli sacerdoti ad hoc non auctorizato, absolvere a reservatis ab Ordinariis licebit. Hoc fine omnes Ordinariatus casus a se reservatos informandi cleri causa sibi invicem communicabunt.“

„*c)* Absque proprii parochi requisitione nullus sacerdos mortuos alterius ritus sepelire praesumat. Si fideles mortuos suos in cœmeterio alterius ritus sepelire optant, sepulturae non impediantur. Si ad sepulturam talem proprius parochus advenerit, proni sint sacerdotes alterius ritus usum campanarum, luminarium, feretri etc. concedere erga justam remunerationem ei, ad quem pertinet, præstandam. Funebralem devotionem aut cathechizationem juventutis in Ecclesia alterius ritus peracturus sacerdos de secuturo suo adventu rectorem hujus Ecclesiæ praevie informare tenetur, qui curare obligatur, ut et Ecclesia patefiat, et peragendæ devotiones parochiales ita ordinentur, ut cum secutura devotione alterius ritus non coincidant et se invicem turbent.“

„*d)* In solemnibus processionibus pulsus campanarum mutuo et gratis concedatur.“

„*e)* Generatim jura parochialia e. g. circa domorum, esculentorum, pascalium etc. benedictionem nemo involare praesumat.“

„*f)* Episcopis suas Diœceses canonice visitantibus, etiam sacerdotes alterius ritus honorem et obsequia spiritualia prompte praestent.“

„*g)* Ne inter sacerdotes latini et rutheni ritus in processionibus, sessionibus et aliis solemnitatibus ecclesiasticis simul peragendis, de praecedentiae ordine controversiae oriantur, quibus charitas et mutua animorum concordia turbetur, decretum S. Congregationis Rituum datum 16. Februarii 1630, quo in causis praecedentiae inter Episcopos latini et Episcopos graeci ritus uniti statuitur, nullam aliam rationem, ceteris paribus, inter illos habendam esse, quam antiquitatis eorum promotionis ad Episcopatum, permittente Sanctitate Sua, pro norma in posterum habebitur ab universo utriusque ritus Clero ita, ut ad designandam prioritatem in ejusmodi solemnitatibus simultanee peragendis non ritus diversitas, sed tempus ordinationis aut qualitas Ecclesiasticae dignitatis consideretur.“

Post haec Sanctitas Sua, cui apprime perspectum est arctissimis charitatis vinculis Leopolienses praesules inter sese conjungi, et singulari zelo erga oves sibi concreditas inflammari, eosdem vehementer hortatur, ut toto animo incumbere pergant ad concordiam in suis diœcesibus stabiliendam, et illud certum exploratumque habet ope hujusmodi conventionis præteritas controversias omnino diremptas iri, et hinc plurima bona et jucundae pacis, quae a Deo est, uberrimos fructus Latinis et Graecis ecclesiasticae provinciae Leopoliensis fore obventuros.

Datum Romæ ex aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis die 6 Octobris 1863. **Al. Card. Barnabo Praef**“

N. praes. 103.

Indultum Romanum quoad famulitium apud Judaeos Christianum,

Ad interpellationem Nostram Romæ die 18. Jul. 1863 scriptotenus hocce in negotio factam sequens nunc appulit Indultum:

„Postulatum r. p. d. Episcopi Tarnovien. a S. Congregatione Concilii subjectum examini Supremæ Congregationis Sanctæ Romæ et Universalis Inquisitionis.

Ex relatione status Ecclesiæ Tarnovien. ad s. Congnem Concilii transmissa die 1. Julii 1863. habetur ut infra ad postulata.

Novissimo tempore arduas difficultates causarunt famuli christiani contra fas apud Judæos servitio se mancipantes.

Usque ad annum 1861 etiam legibus civilibus vetitum erat Christianis servitium apud Judaeos suscipiendi, cum vero lex haec anno memorato vi sua in posterum destitueretur, tanto alacrius Christiani famulitium apud Judaeos suscipere non formidant, quippe cum parochi nullum adjutorium quia nullam legum ecclesiasticarum observantiam a Magistratibus civilibus præstolari possunt. Recentissimo insuper tempore Hebræi dumtaxat quoad jura civilia emancipati bona terrestria acquirentes et possidentes, atque agriculturæ in majoribus prædiis dediti, famulis christianis indigentes (famuli enim pro hoc servitio ex Judaeorum progenie vix depromi possunt, gens enim hæc mercaturæ et similibus occupationibus detenta laborem duriorem sustinere difficiliter potest) apud me supplices comparent, quatenus a legibus ecclesiasticis dispensando eis licentia concederetur famulos pro agris colendis e Christianorum cœtu desumendi; et sane consultius esse videtur, ut christiani famuli cum licentia apud Judæos fafamulitio mancipari possint, in quo casu iidem speciali curæ pastorali parochi respectivi subjicerentur, et conditio apponeretur, ne cum Judæis in una domo cohabitent, quam ut proprio marte, et monitiones suorum pastorum vilipendendo, mercedis majoris cupidine ducti apud Judæos servitium capiant, quod etiam solius disciplinæ ecclesiasticæ vigore evitari prorsus haud potest, experientia enim comprobatum est, crebro vetitum ecclesiasticum, et pastorum christianorum severiores obsecrationes posthaberi. Quapropter consilium et mandatum sedis Apostolicæ efflagito, num sub certis conditionibus ne nimirum famulorum christianorum apud Judaeos servientium fides et Religio ullatenus detrimentum patiatur, licentiam dare queam fidelibus christianis, soli servitio fine agriculturæ exercendæ, non vero ad famulatum domesticum apud Judaeos se mancipandi.

Feria 20. die 1. Junii 1864.

In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquis habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam coram Emmis et Rmis Patribus Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in tota republica christiana Inquisitoribus Generalibus, iidem Emmi et Rmi Patres, præhabito voto DD. Consultorum, suprascripto postulato, attentis omnibus adjunctis, et limitationibus in eodem contentis responderunt: affirmative, facto verbo cum Smo..

Eadem feria ac die

Smus D. N. Pius divina providentia Papa IX. in solita audientia R. P. D. Adsessori Officii impertita Emorum et Rmorum PP. Cardinalium Suffragium confirmavit.“

Tenor hujus pro notitia et observatione... relate ad Encyclicam Nostram de 1 Jun. 1860 Nr. pr. 50 (Cur. XII. 1860) et Publicationem de 17. Oct. 1861 N. præs. 126 in Cur. XXI. 1861 impressam, hisce communicatur. E præsidio Episcopali Tarnoviæ die 21. Jun. 1864.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 23. Julii. 1864.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

JOANNES FIGWER, Cancellarius prov.

Tarnoviæ & Jasło. Typis Anastasii Rusinowski, 1864.